



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

119 Præuaricantes reputai omnes peccatores terræ: ideò dilexi
testimonia tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

IN PSALM. CXVIII. 509

miserius dici, aut excogitari possit? Quid enim est sperni à te? Legō, & timeo. Cōfusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Legō, & contremisco. Audiuit Dominus, & spreuit, & ad nihilum redexit valde Israel. Considero opera Dei, & deficit in me spiritus meus. Quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. O tortuosas vias filiorum Adam. Et recedunt à te, & superba deiectione, atque inquieta lassitudine tutos se, & felices esse posse præsumunt. Quam verè iniusta dicitur cogitatio eorum, quæ tam foedè, tam iniquè, tam insipienter fallitur? Iniusta cogitatio, quia superbiunt: iniusta, quia rectitudini non coaptantur, nec eorum vita tuæ voluntati respondet. Peruersæ enim cogitationes rectas non pariunt operationes: nec potest quisquam opere placere tibi, qui cogitatione non placet. Denique si peruersæ cogitationes à se separant, & omnes cogitationes eorum contaminatæ sunt, merito à te ad nihilum redacti, nihili reputantur.

Deo quātum malū
Psal. 82.
Psal. 77.
Eccel 14.

¶ Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.

PRÆVARICANTES, & recedentes à Deo idem sunt, quod Hebræa vox sonat. Sanctus Hieronymus quasi explicans
Peccatores scoria sunt.

Y 3 quod

quod dictum est, Spreuisti, trāstulit, scoria
am reputasti. Et reuera scoria, & nihil sūt,
qui à Deo recedunt, & à lege eius præuaricantur. Cum contra de adhærentibus illi
dictum sit. Nimis honorati sunt amici tui
Deus. Et idem ipse contestetur, ac dicat.

Psal. 138.

1. Reg. 2.

Quicumque glorificauerit me, glorificabo
eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Quam miserum hoc, quā sublimē illud. Sed & ego inhærens tuis placitis Domine, tuoque exemplo, qui spreuisti eos, sine dubitatione præuaricantes illos, & nihili æstimauī.

Peccatores terræ dicuntur primo, id est, Oēs, toto orbe &c.

Secundo, terræ affixi.

Ier. 17.

Gen. 3.

Isai. 65.

Luc. 15.

Et quoniam non priuata aliqua mea causa; non quod mihi molesti essent eos odiui, sed quia à te summa rectitudine recedunt: idē non hos, vel illos, sed omnes peccatores terræ, ybicunque tandem per vniuersam terrā dispersi sint, odio habui, & execror. Et alioqui meritō etiam peccatores terræ voco, quia recedentes à te in terra scribentur: & terræ affixi, terræ inhiātes, serpentino pane, id est, terra, & puluere yescuntur, cum serpenti dictum sit à te maledicente, terram comedes. Et item Serpenti puluis panis eius. Quomodo enim supernis pascantur, & vitali tuo pane saturētur, qui à te recedunt in regionem longinquam? Sed, quo eos impudentius legem tuam præuaricari, tanquam si vile quid esset, animaduerti, eo pretiosorem illam habui, magisque sum admiratus, & idē dilexi

dilexi testimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas : à iudicijs enim tuis timui.

CV M legem tuam diligam , præuari-
cantes oderim , non tamen sine timo-
re iudiciorum tuorum esse possum. Timeo
enim à Iudicijs tuis.

Primò , à pœnis quas à te recedentibus
paras. Paueo gehennam : paueo Iudicis
vultum ipsis quoque tremendum Angeli-
cis potestatibus. Contremisco à dentibus
bestiæ infernalis , à ventre inferi , à rugie-
tibus præparatis ad escam. Horreo vermẽ
rodentem , & ignem torrentem , fumum , &
vaporem , & sulphur , & spiritum procella-
rum. Hæc enim pars calicis eorum , qui à
te recedunt. Quis mentis , aut sensus com-
pos credendus est , qui ad hæc non contremi-
seat?

*Timentur
primò pœ-
næ.
Eccl. 51.*

Timeo secundò , à iudicijs tuis : quia
oculi tui lucidiores Sole , qui inuestigant
secretiora ventris , multa vident in me fœ-
da ; quæ ipse non agnosco. Tenebræ , lippitudo ,
mei ipsius nimia vicinitas , & quasi
superpositum obiectum impediunt me.
Timeo , ne quid in abyfso cordis mei la-
teat , quod me lateat , & tibi displiceat.

*Bern. ser.
16. in Can-
tic
Psal 10.
Secundò ,
occulta
peccata.
Eccl. 23.*

Timeo tertio , à iudicijs tuis , ne quando
iustissimè manum tuã ab auxilio serui tui
retrahas , & cadam. Quis enim stabit nisi
titubãti , & corruenti fulmenta manus tuæ

*Tertio , ne
Deus de-
serat.*